



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio prima vtrum in Christo Domino fuerit meritum, seu conditiones
omnes ad meritum necessariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Nihilominus tamen debetur ei gloria, sicut homini beato, quam quantum ad aliquid debuit habere sine merito, & In corp. art. quantum ad aliquid cum merito: vt ex supra dictis patet.*

Ad tertium dicendum, quod redundantia gloria ex anima ad corpus, est ex diuina ordinatione secundum congruentiam humanorum meritorum, vt scilicet, sicut homo meretur per actum anime, quem exercet in corpore, ita etiam remuneretur per gloriam anime, redundantem ad corpus. Et propter hoc non solum gloria anime, sed etiam gloria corporis cadit sub merito, secundum illud Roman. 8. Vniificabit mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis. Et ita potuit cadere sub merito Christi.

Ad quartum dicendum, quod manifestatio excellentie Christi pertinet ad bonum eius, secundum esse, quod habet in notitia aliorum: quamuis principaliter pertineat ad bonum eorum, qui cum cognoscunt, secundum esse quod habent in se ipsis. Sed etiam hoc ipsum refertur ad Christum in quantum sunt membra eius.

COMMENTARIUS.

Quoniam meritum in actione libera voluntatis consistit, ideo D. Thom. huic quaestioni, quæ est de vnitate operationis humane Christi, adiunxit disputationem de merito Christi, quam in hoc & articulo sequenti breuissimè expedit: supponit enim, Christum mereri potuisse, & hic docet quid sibi, in articulo vero sequenti, quid nobis meruerit. Hicigitur docet non meruisse sibi eas anime perfectiones, quas ab initio Incarnationis habuit, scilicet, gratiam, gloriam, &c. meruisse tamen gloriam corporis, & alia, quæ pertinent ad exteriorem exaltationem, quæ à principio non habuit. Et vtrumque breuiter & clare probat in articulo: indigent tamen tam assertiones, quam probationes, magna examinationibus commodius trademus.

DISPUTATIO XXXIX.

In tres sectiones distributa.

De merito Christi Domini absolute, & secundum D. se.

D. Thom.



AEc materia de merito Christi grauissima est & amplissima. quam D. Tho. variis locis attigit in hac materia, supra quaest. 1. art. 2. quaest. 2. art. 11. q. 8. a. 1. & sequentibus: & infra, q. 3. a. 3. q. 48. 49. 56. & 57. art. 6. & 59. art. 3. & in 3. distinct. 18. vbi alij Theologi eandem rem tractant. Nos vero quidquid hanc materiam pertinere videbitur, quod per occasionem aliquam in superioribus disputatum non sit, hoc loco dicemus, totamque hanc materiam quatuor disputationibus amplectemur: & in hac prima, an & quale fuerit Christi meritum, & quo tempore, & quibus actibus perfectum fuerit, explicabimus: in sequentibus vero, quid sibi, quid nobis, quid denique Angelis Christus meruerit, tractandum erit.

SECTIO I.

An in Christo Domino fuerit meritum, seu conditiones omnes ad merendum necessarie.

Quæstio hæc de proprio, & perfecto merito de condigno ac de iustitia intelligenda est, de cuius natura & conditionibus ad illud necessariis in 1. 2. quaestione 114. tanquam in proprio loco disputatur, ex qua, ne materias confundamus, ea solum sumemus, quæ præsentis negotio fuerint necessaria, & indicabimus, quæ ad hoc meritum requisita sunt, vt

ea, atque adeo perfectum meritum in Christo fuisse cõcludamus. Possunt autem aliqua ad meritum requiri ex parte ipsius operis, alia ex parte personæ merentis, alia ex parte eius, apud quem meretur. De quibus sigillatim ac breuiter dicendum est.

Prima ergo conditio ex parte actus meritorij est, vt sit honestus, quæ & per se nota est, loquimur enim de merito præmij apud Deum, & multò notius est, inueniam esse in omnibus, & singulis actibus voluntatis Christi, vt ex ijs, quæ de gratia, sanctitate, & innocentia eius in superioribus tractata sunt, satis constat.

Secunda conditio in opere meritorio necessaria est, vt sit liberum, quoniam per ea, quæ naturalia sunt, & quæ a domino non sumus, nec meremur nec demeremur. Vnde hæc libertas, quæ ad meritum necessaria est, non coactionem tantum, sed necessitatem etiam simpliciter excludit, quia illa sola nomen libertatis meretur, solaque illa in vero propriæ actus dominio consistit. Vnde Paulus ad Philemon. Sine consilio (inquit) tuo nihil volui facere, vi ne veluti ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium: & 2. Corinth. 9. Non ex tristitia aut necessitate: quibus locis id notant Patres. Hinc Methodius lib. de liber. arbit. Si factus esset homo (inquit) vt vnus de numero eorum, qui ex necessitate seruiunt, non reciperet mercedem libera voluntate dignam, & Hieronymus lib. 2. cont. Iovin. Vbi necessitas, sibi nec coronam. Hilarius lib. 1. de Trinit. aliquantul. à princ. ita exponit illud Ioan. 8. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Esse filios Dei non necessitatem esse voluit, sed potestatem, vt voluntas præmij affe-

quatur. Eademque est sententia Parrum, & Doctorum, quos disputat. 37. sect. 2. retuli, vbi etiam hanc conditionem locum habuisse in actibus voluntatis Christi, fusè satis disputatum est. Neque enim probo quorundam Nominalium sententiam, qui conditionem hanc solum in puris creaturis dicunt ex lege Dei esse necessariam, illam vero legem Christum Dominum non comprehendisse, ideoque non fuisse illi necessariam libertatem ad merendum. Hæc enim sententia primum nullo nititur fundamento, ostendant enim isti, vbi hæc lex pro hominibus puris lata fuerit, non autem pro Christo, aut vbi cum Christo Domino in hac lege dispensatum sit: aut quæ fuerit necessitas huius exceptionis, seu dispensationis: Si enim existimant, in Christo non fuisse libertatem, & ideo indiguisse hac exemptione à lege communi, valde errant contra communem doctrinam Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum: si autem de Christi libertate non dubitant, non est cur hanc dispensationem, seu exemptionem à communi lege confingant. Præsertim, quia lex hæc nullam imperfectionem Christo homini repugnantem supponit, sed ad perfectionem potius meritis spectat. Deinde falso videntur hi autores supponere, libertatem requiri ad meritum ex lege extrinseca Dei & non ex intrinseca natura, & essentia ipsius meriti. Licet enim ad meritum, seu potius demeritum poenæ, necessaria est libertas, non ex lege extrinseca Dei, sed ex intrinseca natura talis meriti, ita vt sine hac conditione omnino esse repugnet: ita de vero ac proprio merito præmij sentiendum est, vt latius in materia de merito disputatur.

Tertia conditio in actione etiam meritoria necessaria est, vt sit proportionata premio, atque adeo vt habeat valorem condignum, & aliquo modo illi æqualem. Cum enim ratio meriti ad iusticiam pertineat, æqualitatem aliquam inter meritum & præmij requirit: hanc vero dignitatem seu valorem fuisse in actibus Christi respectu cuiuscunque præmij, non est quod denuo probemus, superius enim q. 1. a. 2. latissimè ostensum est, opera Christi Domini, & ex se fuisse perfectissima, & dignissima, & ex personæ dignitate habuisse infinitum quandam valorem ad satisfaciendum, & merendum.

Quarta,

Quarta, ex parte personæ merentis necessaria est, ut sit persona Deo grata. Quanquam autem certum sit, personam Christi fuisse Deo gratissimam, tam secundum se, quam ut subsistentem in humanitate, & ratione gratiæ vnionis, & ratione gratiæ habitualis ab illa manantis: disputari verò à Theologis solet, an hæc posterior gratia fuerit Christo necessaria ad meritum, atque adeo an illa fuerit Christo Domino principum sui meriti. Quidam enim existimant, hanc gratiam etiam in Christo fuisse ad meritum necessariam. Ita tenet Marfil. in 3. quæst. 10. art. 1. Bonauent. dist. 13. art. 1. quæst. 1. Durand. q. 1. Palud. q. 2. opinione 4. conclus. 3. iudicant. Capreol. lib. 1. q. vnica, art. 3. ad argumenta Scoti contra 1. conclus. & Dried. tract. 2. de Capt. & redemp. gen. hum. c. 2. p. 3. artic. 4. ad 3. Faut D. Thom. q. 29. de verit. art. 5. ad 4. vbi ait, meritum Christi habere rationem meriti à gratia habituali, sine qua meritum esse non potest. Fundamentum esse potest, quia si anima Christi careret hac gratia habituali, non esset intrinsecè ordinata ad supernaturalem beatitudinem, quæ in visione beata consistit, ergo nec posset actiones suas in illū finem referre, ergo nec mereri. Dicendum vero absolute & simpliciter est, hanc gratiam non fuisse Christo Domino necessariam ad merendum: duobus enim modis intelligi potest, hanc gratiam esse necessariam ad meritum. Primo, ut sit principium eleuans potestatem ad elicendum actum ipsum meritum. Et hoc sensu diximus suprā cum S. Thom. & aliis autoribus fuisse hanc gratiam Christo necessariam ad supernaturales actus connaturali modo faciendos. Vnde sit primò hac ratione, neq. ad omnem actum meritum fuisse necessariam, quia, ut infrā dicam, Christus non tantum meruit per actus supernaturales, sed per naturales etiam. Fit secundò, neque ad ipsos actus supernaturales fuisse simpliciter, & de potentia absoluta necessariam, sed solum secundum ordinariam legem, seu ad elicendum illos perfectò, & connaturali modo. Et existimo nonnullos ex citatis autoribus nihil aliud intendisse: & ita etiam esse explicandum D. Thom. suprā q. 7. art. 1. & quæst. 29. de verit. artic. 1. & vbiunque gratiam habitualement ad hoc meritum Christi requirit.

Secundò potest requiri hæc gratia præcise propter ipsam rationem meriti, seu ut actus ipse habeat valorem, & condignitatem coram Deo. Suppono enim ex materia de merito, hæc dignitatem seu valorem actus non solum pendere ex ipsa specifica ratione, & honestate actus, sed etiam ex conditione & sanctitate personæ operantis: inde enim fit, ut dispositio remota, aut proxima ad gratiam, non sit meritoria de condigno gratiæ, neque augmenti fidei, aut spei, cum tamen similis actus in persona iam grata, & digna sit meritorius de condigno augmenti gratiæ, & aliarum virtutum. Ex hoc ergo capite omnino certum, & indubitatum existimo, non fuisse Christo necessariam accidentalem gratiam ad perfectum meritum: ut bene docuit Soto in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. & lib. 3. de Nat. & grat. cap. 6. Vega lib. 7. in Trid. cap. 9. Tolet. in Ioan. cap. 1. annot. 47. Perer. in Daniel. c. 9. q. 15. Et ratio est euident ex dictis suprā q. 9. quia hic homo Christus per se & substantialiter ratione ipsius personæ est maximè gratus Deo, & similiter eius humanitas ipsamet vnione ad Deum fuit sanctificata & grata: ergo hæc sola personalis dignitas erat per se sufficiens ad valorem meriti, suppositis aliis conditionibus ex parte operis necessariis. Confirmatur, quia nunc opera Christi ex hac dignitate personæ operantis habent infinitā quandam rationem meriti, quatenus ipsamet opera ex vi vnionis deificantur quodammodo, ut suprā q. 1. art. 2. latè diximus, ergo multo magis sufficit per se hæc dignitas ad rationem meriti. Ex nullo ergo capite fuit simpliciter requisita gratia habitualis ad

Christi meritum. Sed contrā nam sola gratia vnionis sine habituali, non ordinat, nec eleuat hominē ad finem supernaturalem: ergo non potest sufficere ad condignum meritum eius. Respondetur, negando simpliciter antecedens, nam licet non ordinet proximè, ordinat tamē radicaliter & principaliter, nam facit suo modo debitam, etiā ipsam habitualement gratiam. Adde verò vltimò, quāuis illa gratia non fuerit simpliciter necessaria, tamē de facto cum Christus illam habuerit, etiam ex illo capite habuisse opera Christi valorem & condignitatem ad meritum, quia illa gratia non fuit inferioris conditionis in Christo, quam in nobis. Quocirca, quod Ricard. dixit in 3. dist. 13. art. 1. q. 1. ad vltimum, gratiam habitualement fuisse principium, quo Christi opera essent magis meritoria, si de augmento intensio intelligatur, falsum est, quia diximus suprā q. 1. artic. 2. opera Christi ex personali dignitate habuisse infinitum valorem meriti, & ideo sub ea ratione non potuisse intensiue augeri: si autem solum intelligeretur de augmento quodammodo extensiue, id est, ut pluribus modis & rationibus illa opera essent cōdigna & proportionata ad meritum, in hoc sensu verum est illud dictum, ut explicatum est. Constat igitur, hanc quartam conditionē perfectissimo modò inuentā esse in Christo Domino. An vero indiguerit Christus aliqua alia gratia actuali, vel supernaturali cognitione, dicemus in fine sequentis sectionis.

Quinta conditio ex parte etiam personæ merentis est, ut sit viator, quam necessariam esse saltem ex lege Dei ordinariam (quidquid sit de absoluta potentia) omnes Theologi docent, ut latius videbimus statim sect. 3. vbi simul ostendimus, conditionē hanc etiam in Christo Domino fuisse necessariam. Quod enim viator aliquando fuerit, scilicet, eo tempore quo vixit in corpore passibili, demonstrauit D. Thom. suprā quæst. 15. art. 10. & ideo saltem pro eo tempore fuisse Christum in statu merendi, quia cum haberet corpus passibile, secundum eam rationem aliquo modo tendebat in beatitudinem, & hoc est esse viatorem, & consequenter habere statū merendi, quia meritū est via ad præmium. Sicut etiam fuit Christus eo tēpore in statu satisfaciendi, propterea enim corpus passibile assumpsit. Vnde fit, licet fuerit miraculosum, & præter legem, Christum simul esse viatorem & comprehensorum, supposito tamen illo statu, consequens fuisse, ut esset capax meriti: non ex dispensatione, sed seruata omni propria & rigoro lege meriti: quia, licet esse viatorem miraculosum sit, tamen viatorem mereri non est miraculosum, sed quodammodo naturale. Sicut etiam Deū esse hominem fuit opus miraculosum, seu supernaturale, tamen supposito illo opere, Deum hominem ambulare, videre, & alia opera exercere, naturale fuit. Neque est vllus Theologorum, qui in hoc contradicat: quanquam enim Scoto soleat contraria sententia imponi, tamen immerito, nam in 3. dist. 18. eandem habet doctrinam Dices. Ergo animæ Beatorum erunt nunc in statu merendi, quia carēt gloria corporis. Respondetur, negando consequentiam: tum quia illæ animæ eo modo, quo existunt, sunt omnino beatæ, & extra statum viz: tum maximè, quia terminus viz ex lege Dei ordinaria politus est in fine mortalis vitæ, & ideo non solum animæ beatæ, sed etiam animæ sanctorum Patrum, quæ erant in limbo, & animæ purgatorij, sunt extra statum merendi.

Sexta conditio, quæ ex parte Dei assignari solet, ad quem pertinet & acceptare meritum, & præmiū retribuere, est, ut intercedat pactum, seu promissio Dei, ut sit veluti fundamentum huius meriti, seu obligationis iustitiæ, quæ ex illo nasci potest. In hac vero explicanda conditione duas extremas sententias vitandas censeo. Altera est, quæ totum valorem operis meritorij tam in Christo, quam in aliis

Eff 4 homi-

Marfil.
Bonauent.
Durand.
Palud.
Capreol.
Driedo.

S. Thom.

D. Thom.

Soto.
Vega.

Ricard.

D. Tho.

Scotus.

Obiectio.

Respons.

hominibus, ponit in quadam extrinseca Dei acceptatione: ita ut non ideo opus acceptetur ad præmium, quia illo dignum sit, sed e contrario potius, ideo sit dignum præmio, quia ad illud acceptatur. Vnde fit, quodlibet opus posse esse meritorium maioris vel minoris præmij, prout voluerit Deus illud acceptare. Quæ doctrina est Scoti in 1. d. 17. q. 3. & in 3. d. 19. & in 4. dist. 15. quam Gabr. amplectitur in 1. d. 17. q. vnica, art. 3. dub. 2. & in 2. dist. 27. q. vnica, art. 3. dub. 2. & in 3. d. 19. q. 1. notab. 3. & conclus. 1. Almay. & ferè alij Nominales iisdem locis. Sed est falsa sententia, quæ veram & propriam rationem meriti tollit, vel latius in materia de merito demonstratur. Et indicatur breuiter, quia verum meritum est opus dignum præmio, sola autem extrinseca acceptatio non potest operi conferre hanc dignitatem: sicut nec potest per extrinsecam imputationem fieri, ut opus sit dignum poena, nisi ipsum in se tale sit. Altera sententia omnino negat promissionem seu pactum Dei, vel necessarium esse, vel posse aliquid ad meritum conferre. Quæ videtur esse sententia Caietani, & Thomistarum in 1. 2. q. 114. artic. 3. Quorum fundamentum esse potest illud, quod paulò antea tetigimus, scilicet, promissionem vel acceptationem Dei nullum valorem, vel dignitatem conferre operi, cum sit omnino extrinseca illi: meritum autem fundatur in dignitate & valore operis. Vnde, stante hoc valore, etiam si nulla promissio præcesserit, Deus ex sua iustitia distributiva debet aliquod præmium ratione illius conferre: sed promissio non potest aliam rationem iustitiæ addere, nisi distributivæ: ergo non est necessaria. Quod præsertim verum est de vero merito ex perfecta iustitia, quale fuit Christi meritum: cum enim acceptatio seu promissio Dei gratuita sit, quo magis fundatur meritum in huiusmodi acceptatione, eo minus habet de perfectione iustitiæ.

Inter hasigitur extremas sententias, media via incedendum censeo, existimo enim de ratione meriti perfecti esse, ut opus ipsum, de se seu moraliter consideratum, prout ab operante fit, habeat sufficientem proportionem, & condignum valorem respectu illius præmij, ad quod ordinatur: quia alias non seruaretur æqualitas, quam iustitia postulat: meritum autem, de quo loquimur, esse debet ex propria iustitia, vel etiam ex perfecta, si in speciali sermo sit de Christi merito. Præter hanc autem operis proportionem & dignitatem, existimo necessariam esse promissionem sub conditione operis, in qua tale opus nitatur: est enim meritum (ut omnes Theologi fatentur) actus, cui debetur ex iustitia merces, unde non satis est, ut de se sit condignus & proportionatus præmio, sed etiam oportet, ut habeat vim inducendi obligationem ex iustitia, ex qua illi debeatur præmium. Nullus autem actus meritorius apud Deum potest respectu illius habere hanc vim, nisi in ipsius promissione, vel pacto fundatur: quia, cum Deus sit absolutus, & supremus Dominus, nullus alius potest per se obligare illi ex iustitia, seclusa promissione eius: posita autem tali promissione sub conditione operis, rectè intelligitur opus ipsum factum in virtute talis promissionis, habere vim inducendi huiusmodi obligationem, supra q. 1. artic. 2. latius dixi. Quod vero perfectum meritum hanc vim iustitiæ requirat, varijs modis ostendi & declarari potest. Primò, ex ipso nomine meriti, quod simpliciter dictum, dicit ordinem ad mercedem: merces autem non est, nisi ubi interuenit iustitiæ debitum, ut constat ex modo loquendi sacre Scripturæ, ex qua potissimum sumenda est propria ratio meriti apud Deum: in Scriptura autem merces iustorum vocatur corona iustitiæ. 2. ad Timot. 4. & ad Hebr. 6. Non est iniustus Deus, ut obliuiscatur operis vestri: & Matt. 20. fit expressa mentio pacti: Nonne, inquit, ex denario convenisti mecum: tolle quod tuum est, & vade. Vnde S. Tho.

2. Timo. 4.
Hebr. 6.
Matt. 20.
S. Thom.

1. 2. q. 112. art. 3. dicit facturum Deum contra iustitiam, quam ipse statuit, si præmium merito denegaret: & q. 114. artic. 6. requirit ad meritum divinam ordinationem, etiam respectu Christi: hanc vero ordinationem, nos declaramus, esse promissionem sub conditione operis. Quæ insinuat in verbis illis. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur: & eodem modo exponunt nonnulli Sancti, quos infra citabo, illud Psalmi 2. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & alia similia in hanc sententiam congerit Driedo supra artic. 2. Ex quibus potest hoc secundo confirmari, nam opera, quæ Christus nunc operatur in celo, ut, verbi gratia, amor Dei, & proximo rum, oratio, &c. non sunt minoris dignitatis, quam essent similes actus, quos exercuit in statu vite: & tamen per illos actus meruit in via, & nunc non meretur in patria, quod referri non potest, nisi in promissionem & pactum Dei, quod solum pro statu vite fuit constitutum. Quod argumentum fieri etiam potest in animabus sanctis existentibus in sinu Abrahæ, vel in Purgatorio.

Dicetur fortasse hoc non solum provenire ex pacto Dei, sed etiam ex naturali conditione animæ humanæ, cui veluti connaturale est posse proficere, quamdiu est in statu vite mortalis. Respondeo, habere quidem hanc legem aliquod fundamentum & proportionem cum natura hominis: tamen per se non sufficere solam conditionem naturæ, nisi promissio Dei intercederet: tum quia illa circumstantia temporis, vel statû animæ in corpore, vel extra corpus passibile, aut impassibile, non variat dignitatem personæ, nec bonitatem operis: tum etiam, quia si Deus concederet animæ separatæ tempus aliquod ad bene operandum promittendo illi præmium, nihil illi deesset ad perfectionem meriti, & e contrario potuisset non concedere totum huius vite tempus ad merendum, sed ætatem aliquam definire, pro illo tempore præmium promittendo, sicut verum simile est Eliam, & Enoch, etiam si adhuc viuant in corpore mortali, non semper esse in statu merendi tam longo tempore. Quocirca, cum hæc moralia sint, non possunt in sola rei natura fundari, nisi intercedat ordinatio divina, signum ergo est hanc esse necessariam ad iustitiam meriti. Quod etiam tercio declaratur, nam si homo in puris naturalibus crearetur, & Deum amaret, ac bene moraliter viveret, haberet opera eius proportionem, & condignitatem cum naturali beatitudine, vel alio naturali præmio: & tamen non haberet illam propriam rationem meriti, quam nunc habent opera iustorum, quia reuera non deberetur illis corona iustitiæ, sicut nunc debetur iustis. Ac denique ex his, quæ inter homines accidunt, idem explicari potest, non enim vnus meretur ex iustitia mercedem ab alio, nisi aliquod genus pacti intercedat, ut supra citato loco q. 1. art. 2. expostum reliqui. Quocirca, seclusa promissione sub conditione operis condigni, non esset tam propria & perfecta ratio iustitiæ, sicut est, illa supposita; nam, sine illa esset tantum quædam decetia aut congrua proportio, quæ nomine iustitiæ significari solet, posita autem illa, intercedit necessitas iustitiæ, quæ non repugnat Deo ex tali suppositione, & intercedit aliquod ius proprium ad tale præmium ex parte merentis iuxta superius dicta quæst. 1. art. 2.

Hæcigitur conditio nihil minuit de perfectione iustitiæ, ut secunda sententia supra citata existimat: alius est enim loqui de acceptatione: aliud de sua ipsius promissione sub conditione operis, si proprie terminis utamur. Acceptatio enim intelligitur quasi posterior ipso meritorio opere, & quasi extrinseca & accidentaliter illi aduenire, & ideo nihil confert ad morales effectus, ut ratio supra facta probat: videtur enim hæc acceptatio respicere actum tanquam obiectum,

obiectum, quod supponit, & ideo illum neq. physicè nec moraliter mutat, sed talem illum acceptat qualis ipse est: at vero promissio sub conditione operis intelligitur antecedere opus ipsum, quod in tali promissione quodammodo fundatur & nititur, & ut sic conferre multum potest ad moralem æstimationem & efficaciam operis. Exemplum affari potest ex Adæ peccato, nam si omne pactum & legem Dei excludamus, illa transgressio soli Adamo nocere potuisset, postquam autem ex lege Dei constitutus est Adam veluti caput, quod pro se & posteritate sua legem accepit, cuiq. eodem modo promissio iustitiæ, vel comminationis mortis facta est: per transgressionem diuini pacti & legis de condigno meruit non solum sibi, sed etiam posteris suis odium, & inimicitiam Dei. Et simili modo diximus supra, potuisse Deum constituere aliquem puri hominem, qui in genere gratiæ esset caput aliorum hominum, & talem promissionem, vel pactum cum illo constituere, ut postquam homo in tali dignitate constitutus, verè alijs mereri ex iustitia, quia illa conditio personæ, & diuinum pactum, moraliter loquendo, multum conferrent ad moralem æstimationem & efficaciam operum. Sic ergo quando promissio sub conditione operis antecedit, & actio meritoria in illa fundatur, habet vim inducendi debitum ex iustitia, quā alias nō haberet. Et ratio reddi potest, quia morales actus à circumstantijs accipiunt valorem & efficaciam moralem, quod autem opus fiat ex dicta promissione, est quædam circumstantia ratione cuius tale opus ad iustitiam pertinet, & ideo inducere potest obligationem iustitiæ. Quæ ferè omnia supra citato ar. 2. indicauimus, ubi etiam explicui, quæ differentia sit inter promissionem simplicem seu absolutam, & onerosam, seu, quæ sit sub conditione operis: illa enim per se non inducit obligationem iustitiæ: sed fidelitatis, hæc vero, posita conditione seu expleto opere, infert iustitiæ obligationem. Explicui etiam eo loco, quomodo huiusmodi promissio nihil diminuat de perfectione iustitiæ: sicut in omni contractu, quod contrahentes liberè paciscantur, non tollit quin obligatio inde orta ad perfectam iustitiam pertineat, maxime cū opus ipsum proportionatum est mercedi & præmio, quod sub illius conditione promittitur.

Ex his ergo omnibus sufficienter concluditur, omnes conditiones ad perfectum meritum requisitas, in Christo Domino inuentas esse, atq. adeo potuisse mereri, ac denique de facto meruisse. Quæ assertio de fide certa est, quam ex Scripturis melius infra demonstrabimus ostendendo, quid sibi, & quid alijs meruerit. Nunc sufficiat definitio Concilij Trident. sess. 6. c. 7. docentis, Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis. Ratione etiam patet ex dictis, quia omnis viator gratus Deo, illi obediens, & studiosè operans propter ipsum, & ex gratia eius, meretur coram ipso, & hæc est vna ex magnis perfectionibus viatoris: sed Christus assumpsit statum viatoris, & erat gratissimus Deo, & optimè operabatur, &c. ergo meruit coram Deo: sine causa enim assumpsisset viatoris statum, & hac perfectione se ipsum priuasset.

Ex hoc vero vterius infert Alexand. Alens. 3. p. quæst. 16. mem. 2. non solum potuisse Christum mereri, & meruisse, sed etiam non potuisse non mereri, quia non potuerunt virtutes eius esse otiosæ. Quæ sententia, si de potentia ordinaria intelligatur, & supposito statu & modo operandi, quem Christus habuit, verissima est: quia supponimus, Christum habuisse liberum arbitrium, quod non potuit semper esse otiosum, & libera actione priuatum, esset enim hæc magna inordinatio, præsertim cum habuerit Christum præceptum interdum liberè operandi. Rursus libera Christi operatio non potuit nō esse honesta, cum praua esse non potuerit, nec ho-

neffo sine priuata. Deinde talis operatio in Christo non potuit non esse proportionata ad merendum propter dignitatem personæ, ut magis ex sequenti sectione patebit: non ergo potuerunt opera Christi non placere Deo, & æstimari digna præmio. Ac denique cum ex lege ordinaria supponantur promissio & pactum, consequenter habuerunt necessario illa opera vim ad obtinendum præmium ex iustitia, atque ita non potuit in eis non esse completa ratio meriti. At verò si de potentia absoluta loquamur potuisset Christus ut homo priuari libertate, & consequenter potestate merendi: potuisset etiam Deus nullum præmium promittere operibus Christi etiam liberis, & consequenter ad nullum præmium illa ordinare vel acceptare, quia hoc contra nullam est virtutem, neque aliunde implicat contradictionem: & tunc, licet opera de se essent digna, & magni valoris, non tamen haberent completam rationem meriti. Sed hoc loco insinuat se quæstio alia, an potuerit Deus non acceptare Christi opera ad præmium. Hæc tamen dubitatio, & ex dictis facile expediti potest, & eam sufficienter tractavi suprè quæstio. 1. art. 2. ubi videri potest cum alijs, quæ hic possent desiderari: videlicet, an hoc Christi meritum fuerit infinitum: an ex perfecta iustitia, & an ex commutativa vel distributiva: & similia, quæ cum communia sint merito & satisfactioni, ibi prætermitti non potuerunt: cum vero eiusdem rationis sint in vtroque, hic repetenda non sunt.

SECTIO II.

Per quos actus Christus Dominus meruerit.

HA Ec quæstio solum tractanda est de actibus à voluntate elicitis. Suppono enim ex 1. 2. quæst. 20. & 21. proprium & formale meritum esse in actu elicto à voluntate: actus vero externos per se non addere meritum actui voluntatis, neque esse formaliter & intrinsece meritorios, sed solum per extrinsecam denominationem ab actu meritorio voluntatis, à quo imperantur, & extrinsece seu moraliter informantur, sicut etiam ab illo denominantur liberi & studiosi. Deinde suppono, sermonem esse de voluntate humana Christi, nam voluntas diuina non est capax meriti, ut per se constat, & sæpe dictum est.

Ratio vero dubitandi in hac quæstione est, quia radix totius meriti apud Deum est charitas, & amor ipsius Dei, hic autem in Christi voluntate non potuit esse meritorius, quia non erat liber, sed necessario consequetur visionem beatam: caruit ergo voluntas illa potissimo actu meritorio, & consequenter videtur etiam caruisse merito in omnibus actibus suis, quia, destructa radice & fundamento, cætera quoque destrui necesse est. Propter hanc difficultatem Theologi varie sentiunt. Quidam enim docuerunt, Christum Dominum non meruisse amando ipsum Deum, potuisse autem mereri, amando proximum, vel alia opera virtutis exercendo. Ita tenet aperte Alexand. Alens. 3. p. q. 17. mem. 1. in solutione argumen. & Scot. in 3. dist. 18. licet hanc sententiam non omnino sequatur, non tamen eam improbat: Et ratio esse potest, quam in principio tetigimus, addendo, meritum singulorum actuum virtutum non pendere ex merito ipsius actus amoris Dei: quia singuli actus studiosi, & præsertim supernaturales, per se sunt meritorij, dummodo supponant charitatē in operante, etiam si non supponant meritum in proprio actu ipsius charitatis. Hæc sententia facile defendi potest: tamē imperfectū quendam modum meriti ponit in Christo, & facile superatur difficultate tacta. Quam si aliter expedire potuerimus, non est cur Christo negemus perfectum meritum in ipso actu amoris Dei existens, quod omnes Theologi statim citandi admittunt.

Secunda